



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cuius Iudicisqve Dei, Erga Homines In Hac
Vita Existentes, Firmata**

Stengel, Georg

[S.l.], 1645

§. 2. S. Cuthberto, ac focijs alendis Deus, per aquilam, piscem mittit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49823)

res illud vsurpant: Mendicitatem, & diuitias, ne dederis mihi: tribue tantùm victui meo necessaria; ne fortè satiatus illiciar ad negandum, & dicam: Quis est Dominus? aut egestate compulsus furer, periurem nomen Dei mei. Porro victui non multa sunt necessaria. Pauca sufficiunt paucis contento. Itaque, quos non deserit diuinum Numen, modico alit, si videt non appetere multa, etiam tunc, cum miraculosè alit.

§. II.

S. Cuthberto ac socijs alendis Deus, per aquilam, piscem mittit.

Venerabilis Beda, qui Martyrum Ecclesiæ Anglicanæ pro Christo cæforum historiam texuit, S. Cuthberti Episcopi Lanparniensis facta & verba hæc refert: *Disce, filiote, Dei fidem semper & spem habere in Domino, quia nunquam fame perit, qui Deo fideliter seruit. Et sursum aspectans, vidensq; aquilam in altum volantem: Cernis, inquit, aquilam illam porro volitantem? Etiam per huius ministeriũ, possibile est Domino Deo nostro, nos hodie reficere. Talia confabulantes, agebant iter, juxta fluminis quendam. Et ecce subito vident aquilam in ripa residentem, dixitq; vir Dei: Viden? ubi nostra, quam prædixi, ministra residet? Cur-*

Prou. 30.
8.

Beda in
vita S.
Cuth-
berti.

re,

re, rogo, & quid epularum nobis attulerit, inspicere, & citius affer. Qui accurrens attulit piscem non modicum, quem nuper illa de fluvio prehenderat. At vir Dei, quid, inquit, fecisti, fili? quare ministra suam partem non dedisti? seca citius medium. & illi partem, quam nobis ministrando meretur, remitte. Fecit, uti iusserat, sumptaq; secum parte reliqua, ubi tempus reficiendi aderat, diuerterunt ad proximum vicum, & dato ad assandum pisce, se pariter, & eos, ad quos intrabant, gratissimo refecerunt conuiuio, predicante Cuthberto verbum Dei, atque eius beneficia collaudante. Collaudabimus & nos, si inde discamus, & Deo fidere, & paucis contenti esse. Per rapacissimas aues potest nobis dare, dator munerum. Sed duobus piscem vnum dedit. Non suffecit? etiam ad abundantiam pluribus suffecit. Et aquilæ dimidium remiserunt, in confusionem illorum, qui nunquam dicunt: *sufficit*. Sed exemplum antiquius audiamus & discutiamus.

§. III.

Frugalissimum S. Pauli & Antonij Eremitarum conuiuium.

Paulus Eremita ab hominum consortio opéq; longissimè remotus, Deo cordi fuit, qui eum, sicut olim Eliam, per volucres parauit.